

tea, vel saltem simile prorsus dubium superest. Hi enim, qui forte ante illius prophetae aduentum morituri erant, hoc ipso eius aduentu, quem non videbant, non detineri poterant ab usu oraculorum gentilium. Illi vero qui porro post mortem prophetae superstites adhuc erant, iterum nihil in eo inuenire poterant, quod eis suadere potuisset, diuinatores non esse adeundos. Caeterum probe scio, interdictum versu 14. ex natura rei ipsius obtinere, & usum praestigiatorum &c. Israëlitis semper vetitum fuisse, quanquam rationem versu 15. expositam, quomodocunque ille tandem sumatur, non habuerint, quemadmodum & nos hodiernum eodem usu prohibemur, quamuis nullus nobis propheta excitandus sit. Cum autem Deus hoc ipso versu 15. prophetas vel prophetam excitandos legi versu 14. exhibitae fundamenti loco substernat, nec aliam eius rationem adducat, interdictum illud omnino & maxime sub ratione v. 15. sumendum & interpretandum esse censeo, id quod rationi conuenit.

§. VI.

Praeterea Deus v. 14. praesertim contra inutilem & impiam gentilium curiositatem pugnare videtur. Hi enim leues plerumque ob causas ad oracula concedebant, & friuolae, quin saepius impiae rationes illos eo compellebant. Et ad hoc respicere videtur Moses, dicens: Tibi non ita permittit Dominus Deus tuus. Quasi dicat: Ne concedas ad praestigiatores & ad diuinatores, ut forte ex illis talia discas, quae Tibi abscondita esse volui, vel ut more Cananaeorum impium futura cognoscendi studium alas. His vero positis, quomodo aduersariorum sententiae in praecedentibus expositae retineri possunt? Credisne enim Deum hic dixisse: Ne adeatis diuinatores ex impia curiositate: Nam ego vobis dabo prophetas &c. Quasi vero ac si Deus, ut Israelitarum malae curiositati consuleret, Prophetas in populo excitasset vel excitandos promississet.

§. VII.

Sed istis, quae attulimus, lis nondum iudicata est. Quidsi enim aduersarii instent verbum **וַיִּשְׁמְעוּ** v. 14. non praecise reddendum esse per: consulere, antecedente scilicet pro consequente sumto; sed illud etiam simpliciter & stricte per: audire; reddi posse, adeo ut sensus & connexio vers. 14. 15. sint: Si Cananaei diuinatores & praestigiatores audiant, vel si eis fidem habeant, (puta in illis, quae vel docebant respectu fidei, vel in istis, quae generaliter de futuris, & non

B

prae-